

FILIALIS ADHAESIONIS LITTERAE
ROMANO PONTIFICI MISSAE A FA-
CULTATE NOSTRA THEOLOGICA OC-
CASIONE ENCYCLICAE
“ HUMANI GENERIS ”

Beatissime Pater

Inter fideles Ecclesiae filios quibus intimo cessit gaudio apostolicus Sanctitatis Vestrae interventus ad profligandos errores perniciosasque in campo studiorum ecclesiasticorum, opinaciones, quae nostris diebus serpere deprehenduntur, etiam Facultas Theologica Collegii Internationalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum de Urbe toto corde adnumerare exoptat.

Plures iam Sanctitas Vestra, sive per Sacras Congregationes, eam imprimisque cui rerum fidei et morum tutandarum munus concreditum est, sive per Seipsam, ad rectam semitam revocare filios aut iam aberrantes, aut per lubricam incidentes viam conata erat. At nunc Encyclicae Litterae «Humani generis» S. V. solemnius, fusius ac data opera aperte edixerunt Ecclesiam non sine materna anxietate ac dolore nonnullos filios suos conspicere in periculo versari, eoque gravius urgere periculum quo sub specie irenici cuiusdam animi sensus erga oves quae extra Christi ovile vagantur, tegitur: acsi veritatis obiectio sive attentatio viam umquam ad sinceram fidei unitatem promovendam sternere possit.

Sapientissime autem Sanctitas Vestra solemni hoc documento erroneas aut saltem lubricas perniciosasque opinandi rationes tum in his quae sive ad sacram theologiam sive ad exegesim sacrorum librorum pertinent, cum in illis quae ad philosophiam scientiasque quas positivas vocant, quatenus res fidei et morum attingunt eisque subordinantur, fortiter denuntiat, simulque errores ipsos, qui palam aut etiam — et quidem

potissimum — occulte iam diffundi ceperunt, aperte indicat, ut, eorum malitia cunctis patefacta et nota, vim nocendi admittant, eorumque insidia a scientiarum praesertim ecclesiasticarum tyronibus paveatur.

Quo vero ipsorum errorum radices, omnibus fere communes, aptius dignoscantur, Encycliae Litterae praecipue denuntiant tum latentem agnosticismum, quo si non apertis verbis, implicite tamen saltem assertur aut supponitur humanam mentem numquam ad certam veritatis obiectivae notitiam reapse pervenire posse, tum immodicae erga magisterii Ecclesiae directionem independentiae spiritum etiam in rebus fidei et morum aut cum illis connexis, cui internus renuitur assensus, saltem dum solemnibus prorsus definitivis iudiciis non agitur. Ab his vero opinandi et agendi rationibus quae generalia eaque gravissima consecaria fluant, Encycliae Litterae indicant. Theologiae videlicet scholasticae asserta, quae a veritatibus revelatis longo saeculorum cursu et virorum sapientia et sanctitate clarissimorum industria et labore deducta sunt, sensu ac valore destituantur, ac si merae ad veritatem «approximationes» essent anteactis quidem saeculis accommodatae, hodie vero penitus ad normam et gustum «philosophiarum» vigentium reformandae. In rebus autem sive historicis et criticis, sive ad scientias «positivas» pertinentibus nimia quaedam et inconsulta festinatio ac propentior animus denuntiatur erga omne illud quod «modernitatem» sapiat, etsi limites forsan merae hypotheseos nondum transierit.

Dum vero Sanctitas Vesta verum ac sincerum mentis obsequium erga ea quae sive philosophiam perennem sive inviolabile fidei depositum sive comprobatam Ecclesiae doctrinam respiciunt, iteratis verbis inculcat, minime quidem recentiora cuiuslibet scientiae cum sacrae tum profanae adinventa spernit, quin potius doctos Ecclesiae filios provocat atque impellit, ut sollerti studio ea omnia inquirant quae humanae investigationis progressus undequaque serio proferre comperiantur.

Cum itaque tantae rei causa in hoc solemnri Apostolici Magisterii documento agatur, recta nempe ratio in studiis sacris peragendis servanda, ut fidelis integra eisdem veritatibus revelatis adhaesio sarta tecumque maneat, simulque «aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam» mens humana assequi possit, Facultas haec nostra Theologica Litteras Encyclicas «Humani generis» accurato studio ac ponderata meditatione exploravit, ut earum dictamina ad amussim opere impleat. Quinimo occasionem nacta Congressus Superiorum Provinciarum totius Ordinis in Urbe habiti, in solemnri eorum conventu una cum Professoribus et Alumnis, ampla dissertatione ea quae Encycliae Litterae aut praecavenda indicaverant aut mandaverant servanda,

exposita sunt, ut non solum in hac nostra romana Facultate Internationali, verum etiam ubique in toto Carmelitarum Discalceatorum Ordine dociles aures altissimo huic magisterio accommodentur.

Ad quam quidem mentium ac cordium erga genuinam Ecclesiae doctrinam docilitatem clarissima exempla atque eximia nostrorum Patrum Complutensium in rebus philosophicis, Salmanticensium vero in theologicis monumenta nos vehementer impellunt. Quibus omnibus, in rebus ascetico-mysticis aquilarum instar gloriose splendent Sancta Mater nostra Teresia a Iesu et Mysticus Ecclesiae Doctor S. Ioannes a Cruce.

Tantorum Parentum ac Confratrum vestigia fideliter prementes Sanctitatis Vestrae documentis et institutionibus plenissimam subiectionem perlibenter pollicemur; simulque nos, pro modulo nostro, adlaboratores spondemus ut sapientissima atque opportunissima monita ab omnibus, ad quos actio nostra quomodolibet pertingere poterit, in proxim deducantur.

Non aliud superest, Beatissime Pater, nisi ut iterum atque iterum Sanctitati Vestrae ob vigilans magisterium gratias ex corde agamus et Apostolicam Benedictionem Facultati nostrae humiliter imploremus.

*Datum Romae die 14 novemboris,
festo omnium Sanctorum Carmelitarum, Anno Sancto 1950.*

FR. SILVERIUS A SANCTA TERESIA, *Praep. Gen. O.C.D. et Magnus Facultatis Theologicae Cancellarius.* - FR. VICTOR A IESU MARIA, *Facult. Theol. Praeses.* - FR. BENIAMIN A SS. TRINITATE. - FR. PETRUS-ALOYSIUS A S. CHRISTINA. - FR. NILUS A S. BRO-CARDO. - FR. PLACIDUS A S. ROSA. - FR. GABRIEL A S. MARIA MAGDALENA. - FR. HENRICUS A S. TERESIA. - FR. IOANNES A IESU MARIA. - FR. JOSEPH A IESU CRUCIFIXO. - FR. PETRUS A MATRE DEI. - FR. MELCHIOR A S. MARIA. - FR. REDEMPTUS M. A CRUCE. - FR. ISIDORUS M. A IESU. - FR. LADISLAUS A MATRE DEI. - FR. THOMAS A S. IOANNE A CRUCE.